

quippe reprehensor est, quorum et ipse ego sum reprehensor. Neque enim reprehendi¹⁾ deberem, si dicere debuisssem. Sed ut volet quisque accipiat hoc, quod facio; me tamen apostolicam illam sententiam etiam in hac re oportuit intueri, ubi ait: Si nos ipsos iudicaremus, a Domino non iudicaremur. En ista sunt, quae de se beatissimum Augustinum dum censorio, ut ipse ait, stilo dicta sua reprehendit, loqui non piguit. Ista sunt, quae ego etsi non simili virtute maiori tamen timore compulsus imitari contendi. Nemo ergo nos, ut in eodem proemio prefatus doctor ait, imitetur errantes, sed in melius proficientes, nec illa nostra reprehensibilia scripta, sed generalis sententiam sinodi a toto susceptam orbe sibi sequendam esse preponant. Iterum enim atque iterum admonenda est fraternitas vestra, ut universalis aeccliesiae concursus non vagorum hominum sua scelera fugientium debeat rumores attendere. Iniquum enim est, cum in tota Affrica, tota etiam Illirico, ut de milibus Orientalium episcoporum taceam, sexcenteni episcopi sint, qui uno ore unoque spiritu catholicam in hac causa sequantur aeccliesiam, tribus forte vel quatuor ex eisdem provinciis fugientibus, qui ecclesiastici occasione scandali penas criminum suorum effugere moliantur, vestra religio conturbetur; et postpositis apostolicis sedibus, postposita totius orbis multitudine episcoporum, illis aurem Galliarum prebeant sacerdotes, quibus et sui exemplo correptio displicet, et qui²⁾ ne ipsa, quae comiserunt scelera puniantur, aufugiunt. Admonemus autem fraternitatem vestram et per vos universam illic Deo propiciante provinciam, ut se catholicae restituant unitati, ut apostolice sedi donato sibi universo orbe, contraire non audeant. Quamvis enim ad vos in ipsis statim ordinationis nostrae principiis, petente viro glorioso filio nostro Childeberto rege³⁾, fidem meam propria manu scriptam direxerim, in qua me nichil contra quatuor venerabiles synodos vel fecisse vel facienti consensisse signavi, paratus tamen sum, secundum apostoli sententiam omni poscenti me reddere rationem'. [Die zwei Schlusssätze von 'Admonemus' an hat mit Ausnahme der wichtigen Petition Childeberts, aber mit Hinzufügung einiger hier fehlender Anfangs- und Schlussworte Theiner in den *Disquisitiones criticae* p. 202 n. V. wie es scheint aus einem Codex Vindobonensis veröffentlicht. J. 624.]

b. Item. Beklagt sich über die in Gallien übliche unkanonische Art, Laien sofort zu Bischöfen zu machen. — 'Quis autem ex vobis de eo, quod⁴⁾ illic fieri comperimus, redditurus est rationem vel in quibus canonibus invenitur, ut uno eodem die

1) 'reprehendere' Hs. 2) 'qui' fehlt Hs. 3) Vgl. J. 622 vom 11. Dec. 556 und J. 628. 629 vom 13. Apr. 557; also muss obiger Brief jedenfalls später sein. 4) 'ea quae' Hs.